



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

vj. De Furtis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

vt cum quis sacrū de sacro, vel sacrum de non sacro, vel non sacrum de sacro aufert. Sed & si non de sacro aliquid ablatum fuerit, sed intra certos passus, qui in circuitu Ecclesiæ sunt, ad huc sacrilegium committi dicitur.

Ratione personarum committitur sacrilegium, cum quis Clericum percutit: uel cum Moniali rem habet h. d.

Personarum ratione sacrilegium perpetratur, cum quis in Clericum, vel Monachū violentas & impias manus^a iniicit: uel cum personæ Deo dicatæ per cōitum appetuntur: de quibus infra suo loco latius dicitur sumus.

6. can. si quis contumax. §. sacrilegium. 17. q. 4.

DE FVRTIS, TITVLVS VI.

Furti nomine omnis illicita usurpatione continetur, & fures promoueri non possunt, imo promoti deponuntur, & si sint incorrigibiles, debent excommunicari, & si occisi fuerint in furto, non est pro eis orandum, nisi ante mortē sint confessi. h. d.

Furti quidem nomine omnis illicita usurpatione alienæ rei concluditur: sed nunc de ijs tantum agimus, quæ speciali nomine destituta generali furti appellatione continentur. Fures autem non solum seculares leges, verum etiam Canones acriter insectantur: nam nec ad sacros ordines promoueri, nisi secundum ea, quæ supra primo libro diximus, & promoti

ab iisdem deiici, & si depositi incorrigibiles fuerint, excommunicari, & demum potestati seculari tradi debent. Et si^b, dum furum committitur, occisi fuerint, pro eis minimè orandum erit: quanquam si comprehensi, aut vulnerati confessi fuerint, communio eis non sit deneganda.

Furtum committentes ob necessitatem mitius puniuntur, & pœna furum puniuntur partientes cum eis, & qui furorum sunt confesij.

Sed hæc de illis intelligere nos oportet, quæ nulla necessitate adacti furtū comiserunt. Ceterum si quis propter necessitatem^c, cibaria, vestem, vel pecus furatus fuerit, longè mitiori pœna puniendus erit. Nec fures solum supra dictis pœnis tenentur, sed ij quoque^d, qui aut cum furibus partiuntur, aut qui furorum conscij fures quærentibus possessoribus non indicant.

DE VSVRIS, TITVLVS VII.

Vsura quid sit, & unde dicta, & habens possessionem in pignus, recepta propria pecunia, si recuset fructus in sortem computare, usuras committit. h. d.

Vsura est, quicquid ultra sortem mutuata percipitur: dicta ab usu, quia scilicet pro usu pecuniæ recipitur. Unde^e & si quis pignoris obtentu rei alicuius nactus fuerit possessionem, si sortem suam deductis expen-

b cap. 2. extra. cod.

c cap. si quis propter extra. cod.

d cap. qui cum fure. cod. tit. extra.

e cap. 1. 2. & cap. con. pignus extra. cod. tit.